

EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

PROPOSITIONES:

QUAS

PRO STADIJ PHILOSOPHICI

CONSUMMATIONE IN MEDIUM PROFERT

PROPUGNATURUS

FRATER RAPHAEL LEAL

CORDUBENSIS AUGUSTINIANUS:

CUI PRÆSES ADERIT

P. FRATER MARCUS CABELLO

SACRÆ THEOLOGIÆ

LECTOR VESPERTINUS.

R. 20443

Certamini parabitur locus in præfati Ordinis

Templo die 21 mensis Maji Anni Dñi.

MDCCLXXXV.

CORDUBÆ:

---

---

EX TYPOGRAPH. D. MARIÆ DE RAMOS, & Coria, in Platèa de las Cañas.

R-1275

BY JAMES A. HUNTER

THE HISTORY OF

THE

TWO STATES OF THE

CONFEDERATION IN 1862

BY

FRANCIS PICKENS

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

FRANCIS PICKENS

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

DIVO AURELIO AUGUSTINO

HIPPONENSI EPISCOPO

ECCLESIASTICORUM MAGISTRORUM

EXIMIO , PRÆCIPUO , MAXIMO

FRATER RAPHAEL LEAL

FILIORUM MINIMUS

H. D. A.



**T**RIENNALI ARTIUM CURRICULO  
vix emenso ( Sanctissime atque Amantissime  
Pater ) : ecce ad Sacratissimas Tuæ Celsitu-  
dinis Aras , qualemcumque mei laboris , atque  
vigiliarum fructum consecraturus , accedere  
audeo. Neque ab hoc meæ erga Te debitæ ob-  
servantiæ , ac justissimæ gratitudinis officio  
Amplissima Tua Dignitas me deterret : nam  
etsi præsens munusculum parvum sit , & val-  
de exiguum ; scio tamen , & probè scio , quod  
in supremo Sanctitatis & Doctrinæ apice

constitutus , singulari , & prorsus eximia  
ornatus es benignitate , & pietate. Certè si in  
nostro mortali corpore positus , dum adhuc  
peregrinabaris á Domino , Charitas Dei per  
Spiritus Sanctum Cordi tuo largè diffusa , Te  
cunctis adeò Mitem , Blandum , ac Amabilem  
reddidit , ut S. Severus Milevitanus Antistes  
Viscera Augustini Viscera pinguia sagina coe-  
lesti , condita omni spiritali dulcedine , &  
duplici vinculo redimita geminæ Charitatis  
appellaret ; nunc Deo , *qui Charitas est* , con-  
junctissimus in Coelis , nullum despicias , nullum  
à Te arces ; imò præstantiori , & benigniori  
affectu cunctos accipis , & pauperes maximè,  
humiles , ac pusillos dulcissima Charitate com-  
plecteris. Accedit , quod licet munus , quod in  
præsentiarum Tuæ Celsitudini offero , re par-  
vum sit , affectu tamen maximum est. Tui amore,  
ò Dulcedo pauperum , ò Piissime Consolator  
Filiorum , flagrat , & ardet animus meus. Ex  
quo , Divino favente Numine , Amplissimæ  
Tuæ Eremitanæ Familiæ nomen dedi , Te di-  
ligere , colere , & præcipuo honore prosequi,  
mihi decretum est. Ex tunc cordi meo votum  
insedit , navandi operam Institutionibus Phi-  
losophicis hoc præcipuè animo , ut iis eruditus,  
ad

ad Theologicas Disciplinas gradum faciens, M. Augustini Dogmatibus mentem meam excolerem. Audiebam siquidem á Præceptoribus meis, Te omnium Sanctorum Patrum, omnium Doctorum, omnium deniquè Theologorum facile Principem esse; qui tot, tantisque voluminibus ingenij abundantia, mentis profunditate, sermonis suavitate, ac multiplici eruditione, & certa, solidaque scientia, mirabilique pietate præstantissimis, planum, ac tutum totius Theologiæ curriculum nobis circumscripsisti. Audiebam, Doctorum nullum abstrusa quælibet Fidei Misteria Te diligentius exquisisse, verius invenisse, veracius protulisse, luculentius enodasse, robustius deffendisse, effusius disseminasse. Te unum nobis & Prophetarum oracula, & Apostolorum voces referre, & omnium Scripturarum sensum exprimere. Audiebam, quod assidua, attenta, diligenti librorum tuorum lectione Insignes Ecclesiæ Doctores omni ævo plurimi evaserunt, quos inter D. Prosper hæresis Semipelagianæ Devictor, & D. Fulgentius Propugnator divinæ gratiæ, & Profligator Arianorum uti Scholæ Augustinianæ Antesignani ab omnibus agnoscuntur. Audiebam deniquè, quosque doctissimi


mos hujus , & proximè elapsi sæculi Theolo-  
gos nihil plus in votis habuisse quam ut so-  
phismatum fæcibus ( quas in Scholas Theolo-  
gicas Pseudo = Scolastici plurimi studio par-  
tium , & rixandi libidine abrepti , intulerunt ,  
qui optimè , ut Sapientissimus Canus animad-  
vertit , se diseruisse rati , cum universas quæs-  
tiones Theologicas frivolis argumentis absol-  
vissent , & vanis , invalidisque ratiunculis mag-  
num pondus rebus gravissimis detraxissent. )  
his ergo fæcibus procul ablegatis , ad unum  
Augustinum omnes confugerent , ipsumque sibi  
christianæ sapientiæ Exemplar , Ducem , ac  
Magistrum proponerent. His itaque sermoni-  
bus inflammatus , ac veluti calcaribus adhibitis  
stimulatus , in dies erga Te , tuamque sanam,  
orthodoxam , catholicamque Doctrinam ab an-  
tiquis usque temporibus in Ecclesia recepti-  
ssimam , & celeberrimam ferventior effectus ,  
qui adhuc majora non ausim , hoc saltem levi  
specimine devotionem meam omnibus homini-  
bus testatam volui. Ex illa ergo Beatorum Spi-  
rituum Patria , ubi præfulges inter Doctores Ec-  
clesiæ tamquam Sol rutilans inter Sidera , quod-  
cumque Filioli tui acceptare munusculum , &  
pro ea grætia , quam in Te pusilli cum mag-  
nis

nis miramur , dirige me sequentes propugnantes  
propositiones , & postea dantem operam  
Sacratioribus Disciplinis ; ut sanctis ora-  
tionibus tuis & in præsentis sæculo Tanti Ma-  
gistri discipulus dignus evadam , & in  
æterna Beatitudine socius  
aliquando assi-  
deam.




aliquam. dicitur in sequenti paragrapho.  
tam inpositiones, & postea dicitur  
tam inpositiones dicitur in sequenti  
locus tunc & in sequenti: tunc in  
sunt dicitur dignus erant, & in  
etiam dicitur socius

aliquando sic  
dicitur



aliquando sic  
dicitur



## DE PHILOSOPHIÆ HISTORIA.

1. **P**hilosophia græcum nomen est, quod latinè studium, & amor Sapientiæ audit. Ejus Inventor Pythagoras fuit.
2. At licet ab illo nomen, & illustre decus acceperit Philosophia longè tamen antiquior est, quàm ut illius origo sive Pythagoræ, sive Græciæ Philosophis concedatur.
3. Unus, idemque fuit Hominis, atque Philosophiæ fons, & origo; eodemque tempore, quo genus humanum, Sapientiæ quoque studium incepit.
4. Protoparenti Adamo inditam fuisse à Deo Philosophiam, res est, de qua vix dubitare licet. Sed quomodo ipsa in omnes gentes transierit, non facilè definitur.
5. Plurimi ex Veteribus, Recentioribusque Scriptoribus arbitrantur, omne Philosophiæ studium à Judeis, & à Saceris Litteris, veluti ex fontibus, in exteris gentes omnes manasse. Sed hæc quamvis eruditè, ac ingeniosè à Sapientissimis Viris, præsertim vero Huetio, & Natali Alexandro tradita, & illustrata maximè fuerint, nulla tamen satis firma ratione id ostendi posse, putamus.
6. Illud nobis verisimilius videtur, Philosophiam à Patribus in Nepotes hæreditarium veluti munus ubique transmissum ad hæc usque tempora floruisse.
7. Quocumque tamen ex fonte Philosophiæ studium ex Adami Nepotibus in exteris gentes manaverit, illud apprimè compertum est, nullam propemodum regionem tam rudem, efferam, & incultam fuisse, in qua plurimi Sapientiæ laude, rerum naturalium cognitione, morumque honestate celebres non extiterint.
8. Philosophiæ semina Phænices, Ægyptii, aliique, quos

Barbaros Græcia appellabat , Græciæ intulerunt.

9. Græcæ Philosophiæ tres possumus distinguere ætates : in prima Mythologiam vetustissimi Poetæ prosecuti sunt : in secunda Philosophia Politica obtinuit , septem Viris florentibus , quos Sapientes Græci nuncupavere : in tertia denique varias composuerunt Sectas , qui per id temporis apud Græcos fuere Philosophi.

10. Earum præcipuæ Ionica , Platonica , Peripatetica , Stoica , Italica , Eleatica , Epicuriæa habentur.

11. Sub Ecclesiæ nascentis exordia plures Philosophi in nullius Magistri jurantes verba , veritatemque ex omnibus Sectis colligentes , Sectam Eclecticam , seu Electivam condiderunt.

12. Inter Eclecticos locum obtinent veteres Ecclesiæ Patres , ac præsertim Clemens Alexandrinus , qui Eclecticam Philosophiam profitetur sibi placuisse.

13. Tamen præ cæteris antiquitatis Philosophis , non Aristoteli , sed Platoni magis adhæserunt , ex eo quod Platonicos Christianis propinquiores esse , eosque paucis mutatis verbis , atque sententiis Christianos fieri posse , ait S. P. Augustinus.

14. Romani Imperii in Thraciam translatione , & Barbarorum incursu per Europam honestarum scientiarum , & Philosophiæ potissimum studia perpetuis , densissimisque tenebris fuerunt obscurata.

15. Publicæ , privatæque subinde Scholæ non nisi Aristotelica verborum monstra , atque ea , quæ subtilius Avicenna , Averroes , Albufaragius , aliique Arabes commenti erant , pleno ore prædicabant.

16. Tandem tribus superioribus sæculis à Viris Sapientissimis Philosophia , & bonæ Artes ope Matheseos , & experimentis , observationibusque adhibitis de Gothicis , Longobardicisque tumultis , ubi diu jacuerant , excitatæ sunt.

17. Cum ipsis Viris Clarissimis Philosophiæ distributionem in Logicam , Methaphysicam , Ethicam , & Physicam , jam pridem factam retinemus.

## DE LOGICA.

18.

**L**ogica recté definitur Ars cogitandi. Ejus munus est, tradere præcepta, quibus humana mens instituta facilius ad veritatis cognitionem perveniat.

19. Ab hoc fine longissimé aberrarunt Aristotelici, qui rem Logicam infinitis quæstionibus, iisque inutilibus, quibus mentem potius obtruderent, quàm juvarent, implicuerunt.

20. Methodum sedatam, & præceptivam, qua in unaquaque parte Logicæ singulæ explicentur mentis operationes, & regulæ tradantur ad eorum errores corrigendos, optimam esse, & utilissimam, Doctissimorum Hominum exemplo, & consilio edocti, defendimus.

21. Omnes mentis operationes, quæ sané plurimæ sunt, ad simplicem perceptionem, judicium, ratiocinationem, & methodum commodé revocantur.

22. Mens cum aliquid concipit, aut simpliciter apprehendit, illius quædam notionem sibi ipsi efformat, quam *ideam*, hoc est, rei apprehensæ speciem, formam, aut exemplar, appellamus.

23. Ideæ vocabulo minimé significamus illum concipiendi modum cum mens imagines quasdam in cerebro depictas intuetur; id enim vocatur *visio*, atque ad imaginationem spectat.

24. Idearum multa sunt genera. Nam si earum attendas originem, aliæ dicuntur *adventitiæ*, aliæ *factitiæ*, aliæ *innatæ*. Sed de hoc mentem nostram in Metaphysica aperiemus.

25. Ratione suarum affectionum ideæ consideratæ sunt *claræ*, aut *obscuræ*; *distinctæ*, aut *confusæ*; *completæ*, aut *incompletæ*; *adequatæ*, aut *inadequatæ*; *simplices*, aut *compositæ*; *veræ*, aut *falsæ*.

26. Si ideas referas ad objecta, quæ representant, aliæ sunt *substantiarum*, aliæ *modorum*, aliæ *relationum*.

27. Humanæ mentis imbecillitas, quæ omnes rei objectæ proprietates uno intuitu comprehendere nequit, in causa est, cur res veluti in partes distributas singillatim contemplemur; quem quidem cognoscendi modum Schola *abstractionem* appellat.

28. Abstractio multiplex est : scilicet *formalis* , *modalis* , & *universalis*.

29. Abstractionis ope è *singularibus* tum *particulares* , tum *universales* quas vocant , ideę et formantur.

30. Idearum universalium quinque sunt classes , *genus* , *species* , *differentia* , *proprium* , & *accidens*.

31. Definitionis , & divisionis ( de quibus alii in 1. alli in 2. Logicę parte agunt , ) naturam , leges , & membra roganti adsignabimus.

32. Vocibus ( quę idearum signa sunt ) non ita copulantur ideę , ut vocum natura sit ideas , & quas res exprimunt , per se significare : ab hominum enim pendet arbitrio , ut certis quibusdam vocabulis hæc , aut illa notio subjiciatur.

33. Ut recte , ac perspicue aliis cogitationes nostras ope vocum aperiamus ; utque aliorum mentem in eorum scriptis assequi possimus , plures traduntur canones , quos dabimus interroganti.

34. Judicium nihil est aliud , quam perceptio relationis , quę inter duas , pluresve ideas intercedit : quę quidem actus simplex est , nec ex notionibus composita.

35. Hęc mentis actio , si verbis exprimitur , enunciatio , vel propositio dicitur , quę non secus á judicio differt , ac vocabulum ab ipsa vocabuli sententia.

36. Propositio ratione materię , quantitatis , & qualitatis bene multas accipit divisiones , quibus etiam addiscendis operam impendimus.

37. Si propositio conjungenda componit , & sejungenda separat , vera erit ; sin autem contra , falsa.

38. Ut propositionis alicujus veritatem , aut falsitatem deprehendamus , tria servemus , oportet : primum ut ea , quę propositio enuntiat , perspecta habeamus : deinde ut ea invicem conferamus : ac tandem utrum ea aliquam , vel nullam relationem inter se habeant , expendamus.

39. Ratiocinatio actus intellectus est , quo ipse instituta duarum idearum comparatione cum tertia , an jungendę istę sint , an separandę , cognoscit.

40. Ratiocinatio verbis enuntiata argumentatio dicitur , quę est oratio inferens unum ex alio.

41. Ratiocinationes , sive discursus á mente nostra formatos variis argumentationum generibus explicamus : sed omnibus præstat syllogismus , ad quem omnes argumentationum spe-

species facile revocantur.

42. Est autem syllogismus argumentatio quædam tribus enuntiationibus composita inter se ita connexis, ut postrema ex prioribus proficiscatur.

43. Pro recta syllogismi constructione illud maximè curandum est, ut ex præmissis altera conclusionem complectatur, altera verò in illa comprehendi patefaciat.

44. Hujusmodi principio adeò tota vis argumentandi innititur, ut minutissime quæque leges à Dialecticis traditæ ad hoc unum facillimè revocentur.

45. Fentes præcipui, unde fallacia omnis in argumentatione derivatur, septem sunt: 1. aliud probare, quam quod est in quæstione: 2. quod in disquisitione positum est, pro argumento sumere: 3. tamquam rei causam accipere, quæ causa non est: 4. à sensu diviso ad compositum, & contra à composito ad divisum gradum facere: 5. à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter: 6. viciosa enumeratione, sive inductione uti: 7. vocum ambiguitate abuti.

46. Artem, qua cogitationes nostras eo ordine disponere, instituimus, ut ad veritatem inveniendam, eamque aliis demonstrandam, ducamur, Methodum nuncuparunt Philosophi.

47. Methodus igitur duplex est: altera, quæ veritati investigandæ, conducit: altera, qua veritas inventa docetur. Prior methodus *analytica*, sive *resolutionis*; posterior *synthetica*, sive *compositionis*, græcis vocabulis nominantur.

48. In hoc ambæ inter se conveniunt, quod utraque à notis ad ignota gradum faciat: deinde quæ nota sunt utrobique priora proponuntur, ut ex iis per conclusiones ad incognita gradus fieri possit: ac tandem omnis hæc conclusionum series in utraque propositionibus inter se connexis componitur.

49. Verum in eo discrepant, quod methodus analytica veritatem investigat per resolutionem compositorum in simplicia, totius in partes, effectuum in causas: contra methodus synthetica ab universalibus ad particularia descendit.

50. Ut autem utraque methodus rectè institatur, nonnullæ regulæ proponuntur à Dialecticis: sed de his plura, si velis, in palæstra.

## DE METAPHYSICA.

51. **M**etaphysica sapientia, vel scientia speculativa est, quæ circa Ens generatim, illiusque affectiones per mentem abstractas, speciatim veró circa substantias spirituales, prout naturali ratione cognoscendas, occupatur.

52. Omnis metaphysica doctrina aptissimé in tres partes distribuitur, quarum 1. de Ente, ejusque affectionibus agit: 2. humanæ Mentis naturam, ejusque dotes prosequitur: 3. tandem Dei existentiam, atque attributa rationis lumine perscrutatur. Illam *Ontologiam*, alteram *Psychologiam*, hanc denique *Theologiam* naturalem appellamus.

## DE ONTOLOGIA.

53. **I**nnititur Ontologia variis, solidisque principiis, quorum præcipuum est, quod *contradictionis* appellatur, nempe *impossibile est idem simul esse, & non esse.*

54. Huic adjungitur aliud, scilicet; *nihil est in mundo materiali sine ratione sufficienti cur potius sit, quam non sit.*

55. Insignis nota, seu character menti, ad rerum veritatem detegendam, prælucens, græca voce *criterium* appellatur.

56. Cum Philosophis ferme omnibus veri criterium in evidentia statuendum esse existimamus: hæc autem pro diversa cognoscendæ veritatis ratione triplex est, *metaphysica, physica, & moralis.*

57. Evidentia metaphysica est summa illa perspicuitas, qua attributum aliquod subjecto convenire, aut repugnare cognoscimus: hæc autem duplex est, alia dicitur *simplicis intuitionis*, alia *demonstrationis.*

58. Evidentia physica obtinet in iis, quæ sensibus percipiuntur: ea autem ex constanti, & manifesto sensuum testimonio proficiscitur.

59. Evidentia moralis in iis versatur, quorum cognitionem nec ratiocinii, nec sensuum opera, sed aliorum testimonio comparamus: innititur porró constanti, & publico hominum testimonio.

60. Tam physicæ, quam morali evidentie præstat evidentiam.

dentia metaphysica, qua alia duæ fulciuntur.

61. His de veritatis criterio constitutis, facile est Scepti-  
corum audaciam retundere, qui in veritatis perniciem veluti  
conjurari, eam profligare, quam maximè connituntur.

62. Vox ens simplex est, ac primigenia, quæ per alias  
definiri voces vix potest. idem valet, ac *quod est*.

63. Ens generatim acceptum vel ad essentiam, vel ad  
existentiam exprimentam refertur: quoniam autem essendi,  
atque existendi ratio variè considerari potest: hinc ens divi-  
ditur in *reale*, & *rationis*; *possibile*, & *impossibile*; *ne-*  
*cessarium*, & *contingens*; *substantiam*, & *accidens*.

64. Essentia definitur id per quod res est id, quod est.  
Multiplex etiam distinguitur; alia *physica*, alia *logica*, alia  
*metaphysica*.

65. Prima est id, per quod ens intrinsecus tale, ac est,  
constituitur, & non aliud. Itaque complectitur proprietates  
omnes, quæ certum quoddam ens constituunt, ac determi-  
nant.

66. Altera est id, per quod ens à nobis mente concipitur  
tale, & non aliud. Comprehendit igitur non omnia, sed ea  
tantum attributa, quæ à nobis in ente cognoscuntur.

67. Tertia tandem est id, quod primum in ente concipi-  
tur; attributum scilicet illud, quod in ente primum est, &  
à quo reliqua deinceps, quæ illius sunt propria, derivantur.

68. Essentiæ rerum physicæ, & absolute nobis sunt incom-  
pertæ.

69. Rerum essentiæ dupliciter inspicì possunt, vel prout  
in Mente Dei continentur, vel prout extra Deum existunt:  
1. modo æternæ sunt, atque immutabiles. 2. mutationi sub-  
jiciuntur.

70. Existentiæ duplex distingui solet: 1. est, cum ens,  
quod propriè dicitur in *potentia*, sufficientem existentiæ, ra-  
tionem in alio ente habet. 2. cum ens actu est extra sui cau-  
sam,

71. Ens rationis est illud, quod à ratione, hoc est, men-  
te pender, ut existat; sive à mente efficitur; vel tandem ut  
ens à mente concipitur, licet revera non existat.

72. Contra verò ens reale est illud, quod non modo esse  
*intelligibile* habet, verum etiam *positivum*, sive actu sit, sive  
saltem esse possit.

73. Possibilium duo statuuntur genera: alia enim dicimus  
*intrin-*

*intrinsicus*, & *absolutè*, alia verò *extrinsicus*, & *relative* esse possible. Primo sensu possibile dicitur id omne, quod nullam contradictionem complectitur: altero sensu possibile vocatur, si referatur ad causas, à quibus effici potest.

74. Necessarium definitur, id cujus oppositum est impossibile: proinde ens necessarium est immutabile, æternum, perfectissimum. E contrario se habet contingens.

75. Substantiæ vocabulo ea communiter subjicitur notio, ut ens significet, quod per se subsistit, atque ut sit, & conservetur, ab alio ente non pendet, tanquam à subjecto, cui inhæret.

76. Contra se habet accidens; dicitur enim entis ens, sive ens in alio.

77. Omne ens *unum* est; hoc est indivisum in se, atque ab aliis distinctum.

78. Individuum vocatur ens singulare, quod nimirum in plura talia, quale ipsum est, dividi nequit.

79. Suppositum non modo ens singulare, & à cæteris distinctum exprimit: verum etiam substantiam significat, quæ est sui juris, atque integrum principium suarum operationum.

80. Quod si hæc substantia sit rationis particeps, proprio vocabulo *persona* nuncupatur.

81. Veritatem triplicem distinguimus, *logicam*, sive cognitionis, quæ consistit in convenientia nostræ cognitionis cum re cognita: *moralem*, sive signi, quæ in convenientia signi cum re significata posita est: & *metaphysicam*, sive entis, quæ est rei cum suo exemplari convenientia.

82. Cæteris anteponenda videtur illorum sententia, qui duplicem bonitatem distinguunt, unam *absolutam*, alteram *relativam*: illa sita est in *perfectione*: hæc verò in *apto*, & *convenienti*.

83. Perfectum verò dicimus id, cui nihil deest, quod in suo genere ipsius naturæ conveniat; sive quod in suo genere expletum, & cumulatum est: aptum verò, & conveniens vocatur, quod ad usum quemdam, ac fructum, sive commodum refertur.

84. Duratio entis dicitur ipsius continuata existentia, seu existentiae continuatio. — Durationis autem duæ sunt species, *æternitas*, & *tempus*.

85. Æternitas strictè accepta definitur à Boetio: interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Atque his verbis

his triplex Æternitatis aperitur, quod scilicet à nullo profecta initio successionem, sive mutabilitatem, ac finem excludit.

86. Æternitati tempus opponitur, quod est duratio initio, & fine conclusa, quæ prioris, & posterioris, & præteriti, & futuri successionem habet.

87. Infinitum in sensu philosophico idem omnino est, ac perfectissimum; adeo ut finitum sit quod à summa hac perfectione distat.

88. Causa generatim inspecta dicitur id omne, quod per se influit esse in aliud; nimirum ad rem aliquam producendam utcumque concurrat. Itaque effectus omnis à propria causa distingui, ipsaque posterior esse debet.

89. Ex omnibus causarum generibus efficiens est, quæ veræ causæ nomen, & rationem habet.

## DE PSYCHOLOGIA.

**S**ECUNDA Metaphysicæ pars communiori nomine *Pneumatologia* inscribi solet, quod in illa de creatis spiritibus, Angelis scilicet, atque humana Mente disseratur. Sed cum paucissima sint, quæ lumine naturali de Angelis novimus, iis prætermittis, de Mente nostra in hac 2. Metaphysicæ parte sermonem instituemus; proindeque eam Psychologiam Mentis nimirum humanæ cognitionem, sive scientiam appellamus.

90. Mentis nomine intelligimus principium activum, sive subjectum cogitationis.

91. Contra Thom. Hobbesium, Guill. Couvardum, Joann. Lockium, aliosque tam veteres, quam juniores Materialistas, Mentem humanam substantiam esse à corpore, & omni materia prorsus diversam, atque distinctam, propugnamus.

92. Immortalitati triplex subjecta est notio: 1. enim immortale dicimus quidquid ejusmodi est, ut partium secretionem interire non possit, quo sanè sensu immortale idem est, ac quod vulgo incorruptibile nuncupatur: 2. immortale appellari etiam consuevit, quod numquam iis mutationibus subicitur, ut facultates quibus exornatur, prorsus amittat. 3. Tandem immortale est id omne, quod numquam in nihilum, unde semel emersit, redigetur. Ut ergo adversus prædictos impios Philosophos humanæ Menti immortalitatem vindicemus, sequentes stabilimus propositiones.

93. Humana Mens corruptioni non est obnoxia.
94. Humana Mens à corpore separata vivit, & cogitat.
95. Humana Mens numquam emoriatur.
96. Mentis humanæ essentia metaphysica in sensu sui ipsius collocanda videtur.
97. Mens, quandiu vivit, perenni cogitatione prædita est.
98. Essentia physica Mentis in proprietatum, quarum ipsa sibi conscia est, collectione statui potest.
99. Mens non videt in Deo ideas, quæ creatas res in illo representant: ut docuit Malebranchius.
100. Neque eas habet innatas, vel sibi impressas à primo creationis instanti: ut placuit Cartesio.
101. Minimè assentimur Peripateticis autumantibus externos sensus ideas Menti immittere.
102. Illorum Philosophorum opinio, qui, humanam Mentem insita vi rerum ideas procudere, affirmant, probabilior nobis videtur.
103. Universas ideas è sensu tum intimo, tum extimo reflexionis opera Mens cudit.
104. Humana Mens in suis volitionibus, & nolitionibus libera est.
105. Conjunctio Mentis cum corpore, quam vivo sensu experimur, in eo versatur, quod talis sit inter utramque substantiam consensio, ut certis quibusdam Mentis cogitationibus certæ quædam respondeant corporis motiones: è contra certos corporis motus sequantur certæ Mentis cogitationes.
106. Tres præcipuæ sunt, quas Philosophi excogitarunt hypotheses, ut rationem assignarent, qua Mens humana corpori copulatur, Peripatetica, Malebranchiana, & Leibnitiana. Prima de influxu physico videtur incerta, & Mentis naturæ repugnans.
107. Secunda, quæ est causarum moralium, sive occasionalium, interiori conscientie refragatur, & absurda inducere videtur.
108. Tertia, quæ harmonia præstabilita dicitur, non paucis scateris erroribus, fere omnes advertunt.
109. Itaque probabilius nobis videtur, vinculum, quo Mens cum corpore consociatur, tum potissimum sensum esse, tum etiam appetitum, quo illa ad corpus tendit.
110. Sensus, quæ potissima est Mentis proprietas, duas

veluti partes separamus : aliam sensum intimum , quo seipsam , suasque interiores tum actiones , tum passiones sentit, appellamus : aliam dicimus sensum extimum , quo & corpus, cui copulatur , & rerum externarum ad sensuum organa appulsus , persentiscit , earumque cognitionem assequitur.

111. Ut Mens sensum extimum exerceat , hæc duo simul concurrant , necessum est , tum ut fluidum nerveum ob rerum externarum appulsus motum concipiat ; tum verò ut hujusmodi motus ad cerebrum usque deferatur.

112. Licet humana Mens cum toto corpore societatem habeat , ita quidem ut toti corpori conjuncta esse verè dicatur ; aliqua tamen ceterarum dignissima pars corporis est , quam propriam veluti sedem sui domicilii incolit.

113. Hujusmodi sedem in cerebri regione versari , jam fere omnium sententia est : verum quæ potissimum pars cerebri sit , non liquet , ac summa dissentio est inter Physiologos.

## DE THEOLOGIA NATURALI.

**D**E Deo , quantum creatæ Mentis acies , cui splendidissimum revelationis lumen non adhuc affulget , prospicere poterit , hac postrema Metaphysicæ parte disserimus. Itaque quæcumque de Deo impii homines fabricati sunt systemata, quæ sequuntur thesibus , confutamus.

### I. ATHEISMUM.

114. **M**ateria ab æterno extitisse nequit.

115. Motus non est materiæ essentialis.

116. Quamvis materia ab æterno essentiali motu prædita extitisse statuatur ; fieri tamen nequit , ut inde mundus prodierit.

117. Materiæ repugnat Hylozoitarum vita : neque ex ea sensus , atque intelligentia oriri potest.

118. Argumentis metaphysicis , physicis , & moralibus Dei existentiam invictissimè demonstramus.

## 2. PANTHEISMUM.

119. **S**pinosæ systema ambiguae substantiæ notioni innixum claudicat, pugnantia secum componit, & pluribus absurdis scatet.

## 3. POLYTHEISMUM.

120. **D**eus unus est.

121. Est in Deo summa, omnimoda, & absoluta perfectio.

122. Mundum ex nihilo Deus produxit.

123. Deus providentia sua res à se procreatas gubernat.

124. Revelata religione homines indigebant.

## DE ETHYCA.

125. **E**thica, quæ morum disciplinam exhibet, humanorum affectuum omnium originem, objecta, & regulas aperit, ac hominum officia, quæcumque ipsorum conditio inspicitur, accuratè prosequitur.

126. Sensus, quo intimè se affici unusquisque experitur, nativus fons est, unde sui ipsius amor proficiscitur.

127. Affectus omnes, quibus aut bonum appetimus, aut à malo declinamus, ex amore nostri tamquam ex suo fonte dimanant.

128. Homo naturali cupiditate inflammatus ad beatitudinem contendit; at tale bonum, ex quo beatus effici possit, in se ipse assequi homo nequit.

129. Quævis creatæ res, quæ se se extrinsecus homini offerunt, ejusmodi non sunt, ut beatitudinem illam, ad quam homo contendit, ipsi impertiri valeant.

130. Deus unus est, ex quo beatitudinem suam homo haurire potest.

131. Cum ergo Deus sit Bonum illud, in quo beatitudinem suam ponat homo oportet; hinc ipse veluti quodam arctissimo vinculo Deo obligatur.

132. Cum etiam is, cui alter obligatur, jure suo utatur, si quid ab illo exigat; propterea certas quasdam apposuit Deus conditiones, quas implere homo tenetur, ut finem suum attingat: atque hinc leges originem habent, quæ ea homini præcipiunt, quibus ille susceptis, ac expletis, beatitudinem suam fruatur.

133. Lex certa quædam est, ac stabilis regula non sine pænæ sanctione, cujus promulgandæ penes illum jus est, ac facultas, qui legitima potestate in sibi subditos exornatur.

134. Quoniam autem si nulla suppeteret via, lex illa homini innotescere non posset: hinc Deus ipse ejusmodi nobis auxilia suppeditavit, quibus latæ legis notitiam assequeremur. Hæc autem cognoscendæ legis media in sensu tum intimo, tum extimo conclusit, unde ratiocinationis opera propria officia per se quisque haurire posset.

135. Amorem illum, quo homo ad felicitatem, ac beatitudinem natura contendit, totius juris naturalis principium esse defendimus.

136. At non proinde sentimus cum Hobbesio, cujus absurdum systema de principio juris naturalis, & quæ ex eo fluunt consectaria ex animo improbamus.

137. Officium humanum, quod actio est ex obligatione legibus conformanda, ad liberas dumtaxat hominum actiones pertinet, ut quæ legibus subjiciuntur.

138. Officia ratione objecti ita distingui possunt, ut alia Deo, alia nobis ipsis, alia tandem aliis hominibus debeamus. Quæ autem singula ea sint, libenter assignabimus.

139. Societates, vel simplices sunt, vel compositæ: primi generis sunt, conjugalis, paterna, & herilis; secundi autem, familiæ, civitates, vel republicæ.

140. Societates civiles sunt cætus hominum, sive familiarum, qui tacito, vel expresso consensu certis legibus sub communi imperio consociati versantur.

141. Hoc Summum Imperium, sive *Regium Jus*, & à Deo, ut Institutore, & à Populo, ut sibi consulente, repetendum est.

## DE PHYSICA GENERALI.

142. **I**lla Philosophiæ pars, quæ græco nomine Physica appellatur, scientia est naturæ contemplatrix.

143. Hinc patet, Physicam latissimè excurrere, ejusque materiam esse corpora omnia, quæ cœli, terræque complexu comprehenduntur, eorumque phænomena quælibet.

144. Physicæ totius scientiæ principia, & fundamenta sunt experimenta, & observationes.

145. Ut aptè phænomena explicentur, hæ regulæ fidelitèr observandæ sunt.

Prima. Effectum naturalium non plures admittendæ sunt causæ, quam quæ verè sint, & phænomenis explicandis sufficient.

Secunda. Effectuum naturalium ejusdem generis eadem omnino sunt causæ.

Tertia. Qualitates corporum, quæ intendi, & remitti nequeunt, & quæ omnibus corporibus conveniunt, in quibus experimenta instituere licet, pro qualitatibus corporum universalibus haberi debent.

146. Ad quodvis corpus naturale constituendum materiam, & formam concurrere, Philosophorum omnium una vox est: materiæ nomine intelligitur commune, vagumque subjectum, ex quo omnia fiunt: nomine formæ id, quod communem, vagamque materiam definit, & ad certam corporis speciem contrahit.

147. In explicanda materiæ, & formæ natura non consentiunt inter se Philosophi. Nobis Mechanica principiorum explicatio rationi, & observationibus magis consentanea videtur.

148. Minimæ particulæ elementares sunt atomi, id est insectiles.

149. Corpora, cum in sensus nostros incurrunt, continuo rerum quarundam externarum notiones in animo imprimunt, quæ quidem notiones, cum numquam aliter in animo gignantur, argumento sunt, esse extra nos corpora.

150. Quidquid inest corporibus, quod sensus nostros afficere, sui que notionem imprimere in animo valeat, proprietas, & affectio corporis appellatur.

151. Ex notionibus in animo ope sensuum impressis solas affectiones, & proprietates corporum intelligere nobis datur.

152. Porro corpus hic universè appellamus rem quamdam extensam, resistantem, ac mobilem, & certis quibusdam sensibilibus qualitatibus præditam.

153. Extensio est multorum extra se invicem existentium coexistentia in uno. Eam bifariam dividimus, nempe in solidam, & puram.

154. Solida extensio dicitur, quæ habet partes resistendi vi præditas, atque adeo impenetrabiles, cujusmodi est extensio corporis. Pura extensio dicitur, cujus partes sunt penetrabiles, nullaque resistendi vi præditæ; cujusmodi est vacuum, sive inane.

155. Contra Peripateticos, & Leibnitianos defendimus, extensionem actualem esse reale corporis attributum.

156. Extensionem puram ( quæ quatenus ab omni corpore vacua, dicitur *inane*, & *vacuum*; quatenus à corpore occupatur, appellatur *locus*; quatenus corpora per eam liberè moventur, *spatium* vocatur; ) esse quamdam sui generis substantiam, naturaliter comparatam ad continenda intra se corpora, & ad eorumdem motus excipiendos, videtur sententia cæteris probabilior.

157. Spatium inane, & ab omni corpore vacans possibile est.

158. Spatium inane, quod *disseminatum* appellant, in hoc nostro mundi systemate datur revera.

159. Extensio quælibet in infinitam divisibilis est mathematicè: at physicè corpora sectilia sunt in partes supra fidem exiguas, non tamen infinitas.

160. Illa corporis proprietas, per quam omnibus aliis corporibus illud prementibus resistit, & quamdiu aliquem locum occupat, omnia alia corpora, quantacumque vi ipsum urgeant, in eundem locum prohibet intrare, soliditas à junioribus Physicis appellatur.

161. Corpora omnia solida, & impenetrabilia sunt.

162. Actualis impenetrabilitas est essentielle corporis naturalis attributum.

163. Inertia est illa materiæ conditio, per quam corpus unumquodque, quantum in se est, perseverat in eodem statu, in quo semel positum est.

164. Corpora omnia ex se inertia sunt.

165. Resistencia dicitur vis illa , per quam corpus unumquodque resistit aliis corporibus , ipsum de suo statu deturbare nitentibus.

166. In corporibus admitti debet insita resistendi vis.

167. Resistencia , quam opponunt corpora , eorundem materiae proportionalis est : augetur tamen pluribus de causis tum internis , tum externis.

168. Mobilitas dicta est ea corporis facultas , per quam locum continenter mutare potest. Continua , & successiva loci mutatio dicitur motus.

169. Quiescibilitas contra ea est corporis facultas , qua in uno , eodemque loco permanet. Permansio ipsa corporis in eodem loco dicitur quies.

170. Mobilitas inter attributa corporis essentialia numeratur : motus tamen est affectio fortuita , & accidentalis corporum.

171. Motum in natura existere , nisi demens Scepticus , aut cavillator Sophista nemo negaverit.

172. Certam motus quantitatem in mundo eandem usque permanere docuit Cartesius ; sed hoc falsum esse , experientia demonstrat.

173. Leges motus vocantur constantes quaedam rationes , secundum quas corpora moveri conspiciuntur. Cartesius primus omnium plures id genus leges in medium produxit : at iis repudiatis , tres sequentes communiter receptas uti primarias motus leges assignamus:

Prima. Corpus omne perseverat in statu suo quiescendi , vel movendi uniformiter in directum , nisi quatenus a viribus impressis cogitur statum illum mutare.

Secunda. Mutatio est semper proportionalis vi motrici , & fit secundum rectam lineam , secundum quam vis illa imprimitur.

Tertia. Actioni semper contraria est , & aequalis reactio.

174. Gravitas appellatur vis illa , per quam corpora terrestria libere sibi commissa versus terram ad perpendicularum feruntur.

175. Corpora omnia gravia esse , observationes , & experimenta evincunt.

176. Gravitatis origo a magneticis terrae efluviis repeti non debet.

177. Imo neque á vi centrifuga materiæ coelestis ; neque ab ullo quovis extrinsecus impellente fluido , quod eandem cum cognitis fluidis proprietates habeat.

178. Gravitas universalis , seu attractio universæ dicitur vis, qua corpora ad se mutuo accedunt.

179. Minimis materiæ particulis mutua inest attractio.

180. Hujus attractionis leges præcipuas dabimus desideranti.

181. Peripateticorum qualitates absolutas , accidentiaque physica , quæ entitatem habeant á corporibus ipsis diversam, merito exulare jubemus.

182. Sensibiles quascumque corporum naturalium qualitates modales esse , neque aliunde ortum ducere , nisi ex mechanicis corporum eorundem affectionibus , sustinemus.

183. Variam particularum figuram , magnitudinem , collocationem , conjunctionem , motum , & quietem mechanicarum affectionum nomine intelligimus.

184. Perfectè durum dicitur corpus , cujus partes vi utcumque magna compressæ nec cedunt , nec á se separantur, quodque proinde figuram immutabilem habet.

185. Corpora sensibilia , quæ perfectè dura sint , nulla fortasse sunt in hac rerum universitate.

186. Attractio videtur esse potissima , atque universalis causa duritiei.

187. Ad fluiditatem requiritur partium exiguitas , figura spherica , vel spheroidica , aliquis etiam motus intestinus.

188. Elasticitas dicitur ea corporum proprietas , per quam comprimi , & in minus volumem contrahi possunt ; cessante verò pressione dilatantur , & in pristinam formam se restitunt.

189. Elasticitatis ratio ex certa quadam partium textura, earumque attractione pendere potissimum videtur.

190. Esse in natura ignem elementarem , cum Neuthonianis existimamus.

191. Caloris natura in motu expansivo , celeri , & perturbato atomorum ignitarum posita est.

192. Frigoris , & glaciei ratio ab atomis frigorificis maximè pendet.

193. Odor in effluvio sulphureo mercurialis substantiæ maximè consistit.

194. Sapores ex salinis sapidorum corporum particulis

excitantur.

195. Sonus in corpore sonoro, quod percutitur, nihil aliud est, nisi motus tremulus exiguarum partium ipsius sonori corporis.

196. Sonus ad aures defertur, quatenus tremor exiguarum partium sonantis corporis aeri comunicatur, & per ipsum ad aures usque propagatur.

197. Lux primigenia in concitatissimo motu exiguarum partium lucidi corporis consistit.

198. Lux derivata est substantia corporea subtilissima perniciosissimo, ac rectilineo motu percita.

199. Lux propagatur per effluvia é lucido corpore jugiter erumpentia.

200. Color objectivus dicitur ea corporis affectio, ratione cujus corpus tale est, ut si lumine perfusum sit coloratum appareat.

201. Color formalis dicitur id, per quod corpus coloratum eam in visus organo motionem excitat, quæ coloris sensum in animo comitatur.

202. Color formalis diversus non est ab eo lumine, quod objecta corpora in oculos reflectunt.

203. Colorum varietas in corporibus oritur ex varia luminis reflexione.

304. Unde nam varia luminis reflexio repetenda sit, non convenit inter Philosophos. Nos autem Neuthoni hypothesim amplectimur.

## DE PHYSICA SPECIALI.

**P**hysicam specialem in Cœlestem, & Terrestrem distribuimus. Primum de Cœlesti; deinde de Terrestri propositiones afferemus.

205. Cœli substantia mutationibus est obnoxia.

206. Cœlestem materiam subtilissimam esse, rarissimam, ac poris innumeris omnino vacuis refertam, propugnamus.

207. Illam tot Cœlorum multitudinem, quam Ptolæmaici invexerunt, cum Physicis cordatioribus rejicimus.

208. Corpora Cœlestia tam lucida, quam opaca, Astro- rum, Siderum, & Stellarum nominibus promiscuè designantur; re tamen differunt.

209. Lucida corpora sunt, quæ suo proprioque lumine lucent: ejusmodi sunt Sol, & Stellæ, quas *fixas*, & *iner-*  
*rantes* vocant.

210. Quæ opaca in Coelis sunt corpora, ea lucent quidem, sed luce à lucidis corporibus accepta: ejusmodi sunt sedecim Stellæ, quas errantes, & græco communiter accepto vocabulo *Planetæ* appellant.

211. Solis substantiam igneam esse statuimus.

212. In hac sententia optimè explicantur maculæ illæ *solares*, quas ope telescopii primus omnium detexit Galilæus.

213. Lunam esse corpus opacum, nec nisi luce à Sole accepta relucere, manifestum fit ex illius eclipsis, tum ex variis phasibus, quas per singulos menses subit, prout variè Soli objicitur.

214. Idem de reliquis omnibus Planetis eodem argumento ducti tenemus.

215. Lunam habitari, esseque in ea animantia, & naturas rationis compotes, nulla argumenta suadent.

216. Cometæ sunt corpora quædam solida, compacta, fixa, & durabilia; uno verbo genus Planetarum, qui una cum aliis initio rerum à Deo conditi ritu ceterorum Planetarum certas quasdam in Coelo semitas, easdemque statis temporibus percurrunt.

217. Terra est illa solidorum, siccorumque corporum congeries, quæ est terræ orbis pars potissima.

218. De Terræ constitutione variè Philosophorum opiniones circumferuntur: verum hæc incerta prorsus sunt, atque inter inanes conjecturas rejicienda.

219. Plurimi ex antiquis Telluris figuram globosam esse dixerunt, iisque juniores fere omnes Physici assentiuntur. Utrum verò Terra perfectè spherica sit, inter illos non convenit.

220. Illorum Philosophorum sententia, qui imperfectè sphericam, sive spheroidicam Terram esse arbitrantur, videtur nobis probabilior.

221. Terræmotus à materia sulphurea, & nitrosa, quæ in subterraneis cryptis, cavernisque non multum à Terræ superficie dissitis congesta, fermentando subitum calorem, atque ignem concipiat, in plurimum oriuntur.

222. Aquam ex particulis globosis coalescere defendimus.

223. Aquæ particulas magna vi se mutuo attrahere observationibus constat.

224. Aqua naturalis nullam elasticitatem præsefert: sed in vapores extenuata, vel concreta in glaciem miram elasticitatem acquirit.

225. Aquæ marinæ salsedinem á salinis particulis in aqua dissolutis deducimus.

226. Amarulentum maris saporem ex particulis sulphureis, oleosis, bituminosis, quibus minimi aquæ globuli tam arctè circumvestiuntur, ut abstrahi vix possint, repetimus.

227. De æstus marini causa difficilior quæstio est, quam non audemus definire.

228. Fontes, & fluvii ex aquis pluviis, solutisque nivibus efformantur.

229. Aerem elementarem existere, fluidumque esse á vaporibus, & exhalationibus distinctum, plura suadent.

230. Aeris potissimæ proprietates sunt, fluiditas, gravitas, compressibilitas, & elasticitas.

231. Ignem fluidum esse, elasticum, mira subtilitate præditum, confessa res est: at de ejus gravitate lis agitatur inter Physicos: nos pro ignis gravitate decertamus.

232. Illam corporum quorundam affectionem, per quam, si calefiant igne aut Sole, vel si confricentur, lumen emittunt, atque alia corpora leviora ad se trahunt, electricitatem Physicis vocare placuit.

233. Electricæ materiæ natura ab igne elementari ubique diffuso nullo discrimine separatur.

234. Neque á veritate abhorret, præter ignem aliud in materia electrica contineri.

235. Meteora græco vocabulo à Physicis vocantur ea omnia, quæ in sublime evehcta, atque illinc suspensa aliquod phænomenon exhibent; in quatuor genera vulgo distinguuntur, *aquea*, *ignea*, *lucida*, & *aerea*.

236. Quidquid ex Telluris globo, atque ex iis corporibus, quæ in eo sunt, fumi instar, spirat, & in altum ascendit, dicitur halitus: isque in vaporem, & exhalationem dividitur.

237. Ingentem vaporum, atque exhalationum copiam ex Terra, terrenisque omne genus corporibus continenter spirari, & in sublime attolli, quotidianis observationibus constat.

238. Meteora aquea dicuntur, quæ ex aqueis potissimum halitibus progignuntur: cujusmodi sunt, nebula, nubes, pluvia, ros matutinus, aura serotina, pruina, nix, & grando.

239. Nebula fit, quotiescumque vapores in atmosphæra prope Telluris superficiem tam multi coacervantur, eoque modo disponuntur, ut plurimum lucis intercipiendo, aerem solito opaciorum efficiunt.

240. Nubes à nebula non differt, nisi quod altius supra Terram assurgit.

241. Pluvia contingit, quando vapores in sublimem aerem elati ad se proprius accedunt, & conjuncti in parvulas guttas concresecunt: tum porro guttæ hæ graviores aere, cui innituntur, factæ, deorsum cadere debent, atque inter cadendum, dum aliæ aliis consociantur, subinde augeri.

242. Aqua pluvia numquam pura est, sed salibus, oleis, spiritibus, terris, metallis, aliisque pluribus substantiis inquinata pro varia soli exhalantis natura, & pro varia anni tempestate.

243. Hinc explicari possunt pluvie illæ prodigiosæ, quarum frequens mentio apud veteres.

244. Aura serotina oritur ex tenuissimis vaporibus, qui ex palustribus, aliisque aquosis locis diurni Solis calore in altum excitati, statim ac aer, cui insident, nocturno frigore perstringitur, densantur, & in parvas guttulas coeunt.

245. Quem-admodum nocte ingruente aura serotina, ita porro ante Solis ortum humor quidam tenuissimus ex aere decidit, qui ros matutinus dicitur.

246. Si per aerem frigidum, & congelantibus spiritibus differtum aquei vapores effusi in glaciem concresecunt, pruinam, nivem, vel grandinem efficiunt.

247. Ignea meteora dicuntur, quæ ex sulphureis, ignitisque halitibus potissimum procreantur: plura numerantur, quæ una perpetua serie proferemus.

248. Fulgur oritur ex iis maximè halitibus, quos varii plantarum liquores, animalium sudores, ac terre stercorata, sulphureæ, & bituminosæ Solis calore excalectæ in altum expirant.

249. Tonitru vocatur ingens ille sonitus, sive boatus ex nitrosa, sulphureaque substantia, dum effervescit, flammamque concipit, in aere editus.

250. Fulmen appellatur flamma fulgentissima maximo cum fragore in aere de repente excitata impetu validissimo, summaque celeritate per illum excurrentis, ut serpentinos quasi ductus in eo describat.

251. Præcipua materia inflammabilis, ex qua fulmen efficitur, est sulphur; sed aliæ præterea varii generis exhalationes permixtæ ad illud efficiendum concurrunt, quæ scilicet in libero aere accensæ cum fragore exploduntur.

252. Bolidum nomine à Philosophis appellantur ignei quidam gløbi, qui per aerem aliquando delabi conspiciuntur. Hujusmodi globi sunt halitus densi, inflammabiles, copiosius ex terra erumpentes, qui aliarum exhalationum occursum effervescentes incenduntur, & iatuentium oculis globosam figuram exhibent.

253. Eadem fere est materia Stellarum cadentium, ac aliorum quorundam Meeteoron, quibus diversa nomina adhæserunt ex diversa figura, quam referunt: cujusmodi sunt Capræ saltantes, Trabs, Draco, Clypeus, Columna, Pyramis, Stipula.

254. Meteora lucida, qualia sunt Iris, Halo, Parhelium, &c., ex diversa lucis reflexione, ac refractione efformantur.

255. Ventus est percitus aer; sive est motio aeris ex una in aliam partem sensibiliter, & cum impetu fluentis.



